



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 127. Gentiani Herveti decessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1584

§. CXXVII.

*Gentiani Herveti decessus.*

*Thuan. l. 80.  
Dupin Bibl.  
Script. Eccl.  
Sæc. XVI.  
tom. 5. p. 446.  
Poffev. opp.  
Miræus de  
Script.  
Sæc. XVI.*

Die duodecima Septembris celebris  
Gentianus Hervetus ineunte sæ-  
culo decimo sexto Oliveti quodam pro-  
pe Aureliam oppido natus extremum  
clausit diem. Hic græco, ac latino idio-  
mate excultus Claudium Albaspinæum,  
qui postea quatuor regibus ab epistolis  
erat, literis imbuere jubebatur, relicto  
autem suo discipulo Eduardo Lupseto  
Anglo adhæsit, eumque in Angliam co-  
mitatus est, ubi Saresberienfis Comi-  
tissa Artum Polum Filium suum, qui  
ejusdem nominis Cardinalem Fratrem  
habuit, ejus magisterio committebat,  
a quo etiam Cardinale Gentianus pro-  
gressu temporis Romam accitus plures  
græcos Auctores latine reddere roga-  
batur, hacque ex causa aliquamdiu in  
hac Urbe morabatur, semper diversita-  
tus in præfati Cardinalis ædibus, quæ  
sane scientiarum, ac virtutum Gym-  
nasium erant. Porro Hervetus sua eru-  
ditione, morumque comitate sibi non  
modo hujus Purpurati benevolentiam,  
sed etiam celebriorum Italiæ Virorum  
amicitiam conciliabat: inde vero in  
Galias reversus, ac Burdegalæ mora-  
tus, ibidem publice prælegerat in Col-  
legio tum in illa provincia præ reliquis  
celeberrimo: cum vero Italiæ situs ei-  
dem



dem longe amœnior esset, eo reversus Sæcul. XVI.  
A.C. 1584.  
gratiam Marcelli Cervini Cardinalis au-  
cupabatur, a quo etiam plura Græco-  
rum Patrum, aliorumque opera latini-  
tate donare jussus erat.

Postea Cardinalem Polum ad Tri-  
dentinam Synodum comitabatur, ubi  
orationem typis impressam declamabat,  
eo collimans, ut demonstratum iret,  
quod filiorum familias, qui adhuc sub  
cura Parentum existunt, matrimonia  
absque eorum consensu inita irrita sint:  
quapropter existimant nonnulli, quod  
Herveti oratio ansam præbuerit decre-  
tis ab eodem Concilio postea contra  
connubia clandestina sancitis. Demum  
Hervetus sacris Ordinibus initiatus pri-  
mo Joannis Hangeſti Noviodunensis Epi-  
scopi, & postea Joannis Morvillerii Au-  
relianensis Antistitis Vicarius Genera-  
lis creabatur, quo in munere singulari  
studio prædicationi verbi divini ope-  
ram navabat: sedente autem Pio IV.  
Tridentum unacum Lotharingio Car-  
dinale reversus ibidem duas epistolas  
circa Residentiam Episcoporum elucu-  
brabat: inde autem redux ad annum  
a partu Virginis millesimum quingen-  
tesimum sexagesimum tertium ejusdem  
Cardinalis opera Rhemensem Canoni-  
catum obtinuit, qua in urbe stabilem  
etiam sedem figebat, ibidemque plus-  
quam



Sæcul. XVI.  
A.C. 1584.

quam octogenarius moriebatur die duodecima Septembris anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo quarto. Ceterum illius versiones tanquam satis accuratæ deprædicantur, ex cunctis autem ejus operibus vel maxime celebratur ejusdem oratio de restauranda disciplina Ecclesiastica, ubi sexto Calcedonensis Synodi Canoni, quo nullus sine assignato beneficio, aut Officio Ecclesiastico sacris Ordinibus initiari permittitur, innixus in suo sermone contra Commendas, resignationes in alterius favorem, aut cum jure regressus factas, necnon contra beneficiorum nundinationes acriter insurgit, simulque usum carpit, quo Cardinalibus, quibus jamjam Ecclesiarum tituli sunt collati, adhuc Episcopatus conferuntur: insuper Hervetus gallico idiomate plura dogmatica opuscula conscripsit contra hæreticos, ubi satis accommode sacris Paginis, & traditionibus ad stabilendas Catholicæ fidei veritates, & refellendos errores eis oppositos utitur.

§. CXXVIII.

*Theodori Antonii Peltani obitus.*

*Dupin.*

*pag. 452.*

*Ribadin. &*

*Alegamb. de*

*Script. Soc.*

*Valer. Bibl.*

*Aelg.*

Ceteri Scriptorum, qui hoc anno satis cesserunt, sunt sequentes. I. Theodorus Peltanus, seu Pelten, ita vocatus, eo quod Peltæ in Leodiensi Diœcæsi